



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 20. Guido Tarlatus Episcopus Aretinus damnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

si opus erit, mortemque ipsam perfere-

Sæcul. XIV.

A.C. 1326.

Dux Bavarie huic opinioni non accessit prorsus: e contrario congregavit homines doctos: qui declarabant illam esse impiam ac periculosam; atque si assentiret, straturum Papæ viam infectandi se ut hæreticum, & jure ad Imperium privandi. Quamobrem puniret advenas, quia Imperatoris esset, non tantum conservare fidem, verum etiam delere hæreticos. Ludovicus Bavarus respondit: Crudelis forem, si vellem perire homines, qui relicta patria & fortuna sua sese addixere mihi. Quocirca apud se manere iussis largitiones fecit ipsorum statui, & suæ dignitati congruas. Ita rem narrat ille successor Nangii.

§. XX.

Guido Tarlatus Episcopus Aretinus damnatur.

Papa Cardinalem Bertrandum in Lombardia satis occupatum videns, orante Neapolis Rege Roberto novum in Italiam Legatum misit Joannem Cajetanum de Ursinis Cardinalem Diaconum de S. Theodoro. Eodem die, nimirum 17 Aprilis anno 1326, eodemque in senatu, in quo ei litteras seu mandatum

J. Vill. 1. 9

c. 342.

R 3

lega-

Sæcul. XIV.
A.C. 1326.
Sup. Lib. 92.
§. 47.
Ughell. to. 1.
p. 472.
Rayn. 1324.
n. 20.

legationis per Hetruriam vicinasque provincias obeundæ dabat, confirmavit damnationem Guidonis Tarlati de Petramala Episcopi Aretini, qui militiæ quam rerum sacrarum studiosior Aretio aliisque locis Ecclesiæ Romanæ obnoxiiis in ditionem redactis suam Gibellinorum in Hetruria dux evaserat. Bis admonitum, ut redderet Tifernum, & a profano Aretii dominatu desisteret, Papa episcopatu exiit 12 Aprilis anno 1322. Tum illi pennas incisurus Cortonæ Hetrusca Aretinæ dioceseos urbe novum episcopatum instituit per diploma 19 Junii anno 1325 editum: atque secundo Januarii sequentis eo primum Episcopum misit Rainerium Ubertinum. Hic episcopatus semper postea permansit.

Ughell. to. 1.
p. 664. 668.

§. XXI.

Joannes Cajetanus de Urfinis, Cardinalis Papæ Legatus in Hetruria.

J. Vill. 1. 9.
c. 349.

Legatus Joannes de Urfinis 30 Junii anno 1326 Florentiam delatus vix minus honorifice habitus ibidem fuit, quam ipse Papa exceptus esset. Mille florenos aureos in patera accepit dono. Habebat in cœnobio Fratrum Minorum ad sanctam Crucem: & 4 Julii promulgavit